



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

3 De suspensionibus propter peccata contra obligationes clericorum
proprias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

applicari pauperibus, quia iā vsurarius quantū in se est, abdicauit se dominium illorum, & in illius fauore cederet si ei redderetur: sed de hoc latius alibi.

At vero suspensio ipso iure fertur, & propter duas actiones non simul, sed diuissim sumptas, ita ut quilibet earum sufficiat ad suspensionem incurrendam, ut patet ex particula disiunctiua, *Qui acceperit, vel tradiderit*: atque ita sunt duæ suspensiones, licet eodem textu contentæ. Vnde, si aliquis sacerdos utraque illarum committat, duas suspensiones incurrat, ideoque duplici indigebit absolutione, vel vna quæ utramque causam respiciat. Prior ergo actio est recipere oblationes vsurarii. Quid autem nomine oblationum intelligendum sit, inquiri potest, tamē hoc alterius considerationis est. Videatur D. Tho. 2. 2. q. 85. art. 3. ad 3. ubi oblationem esse, ait, quidquid Deo directe offertur, quod latius profertur tota q. 86. Quod vero ad præsens spectat, tribus modis possunt fieri hæ oblationes. Primo in Missa ad offertorium, prout est in vsu. Et hic modus suscipiendi oblationes videtur maxime ibi prohibitus, quia & illæ propriissime oblationes dicuntur, & illas ab vsurario recipere maius Ecclesiæ scandalum.

*D. Thom.
Sub hac pa-
na prohiben-
tur oblatio-
nes in Missa
offertorio ac-
cipi.*

*An prohibe-
antur accipi-
stipendia pro
diuinis offi-
ciis ab vsura-
rio.*

Secundo offeruntur hæc dona extra Missam non mere gratis, sed tanquam stipendium seu elemosyna, ut sacrificia vel alia officia diuina pro credentibus fiant. Quomodo in c. *Sacris*, de Sent. excomm. prohibentur sacerdotes recipere oblationes pro excommunicato mortuo, antequam absoluantur, etiam cum signis contritionis obierit. Et de hoc genere oblationis dubitari potest, an in illo textu comprehendatur, quia oblationes proprie significant dona gratuita, ut D. Tho. supra dicit: hæc autem non gratis dantur, sed ex implicito pacto iustitiæ: & ideo non sunt tam proprie oblationes. Præterea non est prohibitum orare pro vsurario publico: non est enim excommunicatus: & ideo licet pro illo sacrificium offerre, ut Deus illum conuertat: ergo etiam licebit ab illo stipendium accipere pro Missa dicenda, vel aliquid simile. Quare probabile censeo hoc ibi non prohiberi: quod secus est in excommunicato, à quo non licet huiusmodi oblationes accipere propter prohibitam communicationem cum illo, ut recte Nauar. de Oratione c. 19. n. 67. In illo ergo casu, non incurratur suspensio, imo neque erit malum, per se loquendo, secluso scandalo. Sed quid si recipiantur hæc stipendia pro vsurario iam mortuo in suo peccato publico. Respondeo id esse malum ex alio capite: quia ille est publice condemnatus, quantum Ecclesiæ constare potest: & ideo non licet pro illo sacrificium offerre, vel publicas orationes. Tamen ex vi illius decreti non incurratur illa suspensio propter rationem factam: & præterea, quia ibi non prohibetur sub illa censura suscipere elemosynam pro vsurario, sed ab vsurario: vnde nisi oblationes eius nomine fiant (tunc enim censentur ab ipso fieri) non videntur sub illa prohibitionem comprehendere.

*Quid si obla-
tiones in sub-
sidium Eccle-
siæ aut eius
ministeriorum
dantur.*

Sylu.

Tertium genus oblationis est, quando simpliciter aliquid offertur Ecclesiæ, vel ministris eius in elemosynam & subsidium, & hæc si dantur ministris Ecclesiæ ut tales sunt, & non tantum quia sunt pauperes (ut dari solet elemosyna religioso vel sacerdoti pauperi vere computantur inter oblationes Ecclesiasticas, iuxta doctrinam D. Tho. supra: & ideo etiā de his procedit dicta prohibitio & poena. Quod ita sentit Syluest. verb. *Decima*. Vbi adhibet limitationem, nisi huiusmodi oblationes sint alias debite ex consuetudine, vel alio titulo ex his, quos ponit D. Thom. dist. q. 86. art. 5. quia vsurarius propter suum crimen non debet fieri melioris conditionis, aut liberari obligatione. Et confirmatur, nam ab vsurario licet oblationes sic debitas exigere, sicut & alia debita, ut in superioribus dictū est, & notauit Rich. dist. 18. art. 6. q. 4. Intelligendum est tamen, dummodo vsurarius habeat bona, ex quibus tales oblationes

soluat: præterea, quæ restitutioni vsurarii obnoxii sunt, quia illa non sunt sua; ut in oblationem dari aut recipi possint, ut etiam Syluester notauit. Et hæc de illa prima causa huius suspensionis videtur sufficere. De altera vero causa scilicet, tradendi vsurarium sepulturæ Ecclesiasticæ, plura essent dicenda, nisi in simili tradita essent superius disp. 12. Sect. 4. ex quo loco peti potest huius partis declaratio.

Solum potest circa hoc decretum dubitari, an post Extrauagantem, *Ad euitanda*, habeat locum hæc suspensio. Et ratio dubij esse potest, quia ratione illius Extrauagantis non tenemur vitare in sacris, vel in aliis rebus quemquam, nisi sit nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor clerici: ergo publicus vsurarius, si non sit excommunicatus nominatim non erit vitandus, vel in oblationibus recipiendis, vel in sepultura sacra. Quidam respondet, per illam Extrauagantem solum esse concessum, ne teneamur vitare quempiam titulo censuræ in eum lata, nisi nominatim denunciatus est: publicum autem vsurarium non vitari in illis duobus actibus propter propriam censuram, sed solum in odium criminis, & propter scandalum vitandum: ideoque, non obstante dicta Extrauagante, durare prohibitionem & poenam huius decreti. Sed contra hanc interpretationem videntur aperte facere verba dictæ Extrauagantis, quæ sic habent, *Constituimus, ut nemo post hac teneatur abstinere, & separare se, neque vitare communicationem alicuius, ratione alicuius sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine, aut à iure generaliter promulgatae*. Quod vltimum verbum comprehendit præsentem casum de quo agimus, quia non tenentur sacerdotes excludere vsurarium publicum ab his actibus nisi ratione prohibitionis generalis iure latae. Et ita censeo dicendum hanc suspensionem non incurrere donec vsurarius sit specialiter, & nominatim per sententiā condemnatus, vel saltem de tali crimine declaratus, quia alias nullum committitur peccatum contra illam prohibitionem, & consequenter nec poena eius incurritur. Atque in hunc modum est limitanda hæc suspensio, quam solam ex toto discursu huius sectionis colligimus.

SECTIO III.

*In quibus casibus incurrant clerici suspensionem i-
so iure propter peccata contra alia mu-
nera vel obligationes sibi
proprias.*

Restat vsum ordinis proxime spectant ad clericos obligationes aliarum quæ ex Ecclesiasticis muneribus, vel ex decetia talis status oriuntur, & ob culpas, quæ in hoc genere committuntur, suspensiones aliquæ sunt iure ipso late quas breuiter examinabimus, atque explicabimus. Prima est de his, qui non vtuntur vestitu ad formam eodem iure statutam, nam hi, si beneficium habeant, suspenduntur per sex menses, aut per annum iuxta delicti qualitatem eodem iure expressam. Ita habetur in Clement. 2. de Vita & honest. cleric. Circa quam, quia verba textus sunt clara, solum annoto, quamuis culpa hæc communis esse possit omnibus clericis, suspensionis tamen poenam non imponi omnibus, sed illis tantum, qui beneficium habent Ecclesiasticum: ita enim in textu expresse dicitur, & ipsa poena suspensionis à beneficio id exigat: & ideo pro clericis non beneficiatis idem crimen committentibus alia poena ibi fertur, quæ in textu videri potest. Aduertit autem Nauarrus cap. 27. nu. 157. eam censuram incurrere, quando clericus communiter vitatur vestibus illic prohibitis; non vero si semel aut iterū aliqua occasione extraordinaria illis vitatur.

cur. & citat Cardinalem ibi num. 27. Denique in hoc plurimum est consideranda consuetudo, & an secundum prudentium hominum arbitrium aliquis paccet mortaliter contra illam prohibitionem, utendo hac vel illa veste: nam si non ita peccat, non existimo incurere poenam illam adeo grauem. Multa vero minutatim distinguuntur in illa Clementina, quæ aut non sunt vsu recepta, aut non sub ea estimatione, vt mortale peccatum existimeretur tali veste vsu, sed ad summum in decetia quædam venialis.

Secunda est, de his clericis beneficium habentibus, seu curam alicuius Ecclesiæ, qui ei tã alienis debitis grauat, aut literas, seu sigilla alicui concedunt, quibus possit Ecclesiæ obligari, nam qui hoc facere præsumunt, ab administratione spiritualium & temporalium rerum ipso iure suspenduntur in cap. 2. extra de Solutionibus. Quæ lex & poena non comprehendit Episcopos, vt bene ibi Glossa, notat. ex cap. Quia periculosum, de Sentent. excomm. in 6 quod de omnibus casibus in hac sectione tractandis dictum intelligatur. Addit vero Angelus verb. Suspendio, 1. nu. 10. quem sequitur Syluest. n. 6. posse Episcopum in hac suspensione dispensare: quod tamen facere non debet, nisi prius immunitati Ecclesiæ fuerit satisfactum iuxta capitul. Cum olim, de verb. signific. quod ipsi nullo iure probant, & ideo censo generalem regulam traditam supra, ad hunc casum esse extendendam.

Tertius casus est, de his, qui vacante Sede alicuius Cathedralis, regularis aut Collegiæ Ecclesiæ, occupant bona, quæ ad prelatum defunctum spectant, vel quæ tempore vacationis obueniunt, & in utilitatem Ecclesiæ expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reueruari. qui suspenduntur ab officio, & beneficiis quibuscumque, donec plene restituerint quidquid de predictis bonis acceperint. Fertur autem illa censura in capitulum, Colleg. a. & singulares personas, quæ talia bona occupant, inter se diuidunt, subripunt, dissipant, dissipant, & consumunt. Habeturque in cap. Quia sepe, de Elect. in 6. Quid autem bonorum nomine in ea constitutione intelligatur, ex generali appellatione satis constat; comprehenduntur enim omnia bona tam mobilia, quam immobilia, tamen ex vi illius iuris solum comprehenduntur ea quæ vel à prelato defuncto possidebatur, vel vacationis tempore ex fructibus talis Ecclesiæ proueniunt. Tamen in Clement. penult. de Electione fit extensio, vt sub illis bonis intelligatur comprehendere omne emolumentum, quod prouenit ex iurisdictione, & sigillo curiæ Ecclesiasticæ, vel secularis, aut quicquid alias vnde cumque ad Ecclesiam pertineret, si non vacaret, deductis expensis, & addita limitatione, scilicet, Nisi vacante Sede iurisdicatio cum eius emolumento ad aliquas singulares personas ex consuetudine, aut aliquo speciali privilegio, aut titulo deuoluatur: nam illi non priuantur iure suo, propter illam constitutionem, vt in eadem aduertitur. In qua limitatione nonnulla aduertenda sunt. Primum, illam solum adhiberi circa iurisdictionem, & emolumentum eius, & ita Clement. in nulla re limitat priorem constitutionem Bonifacii, qui voluit, vt nullo privilegio vel consuetudine obstat prior constitutio obseruaretur. Clement. autem solum quantum ad eam partem extensionis, quam ipse addidit, voluit illam limitationem adiungere. Deinde est considerandum, Clementem non loqui de privilegiis personarum secundum se, sed ratione dignitatum, quas obtinent: merito enim voluit dignitatem non priuari iurisdictione, quæ ad illam pro eo tempore iusta ratione seu titulo pertinet. Quod si is, qui talem habet dignitatem, iurisdictionem iuste exercet, etiam emolumento eius merito frui debet, cum illud detur ratione muneris. Deinde in priori textu aduerto solum loqui de Episcopis vel Prelatis alicuius Ecclesiæ Collegiæ, vel regularis, & ideo non extendi ad bona, quæ ad in-

feriores beneficiarios spectant, Notari vero debet alia lex lata in cap. ult. de Offic. ordin. in 6. per quam quidem nihil derogatur dict. cap. Quia sepe, vt in fine eiusdem textus dicitur: sed fertur specialis suspensio ab officio & beneficio contra omnes Ecclesiasticas personas Episcopis inferiores, quæ vacantibus dignitatibus, personatibus, prioritatibus, vel Ecclesiis quibuscumque sibi subiectis, seu ad collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam pertinentibus eorundem, bona in ipsis inuenta, siue vacationis tempore venientia, occupare, aut in vsus suos quomodo conuertere præsumant, nisi aliquo iusto titulo ad illos pertineant.

Quarta suspensio ipso iure fertur in Clement. 2. de Magistris, vbi Cancellarius Vniuersitatis, vel ille ad quem spectat gradum Magistratus conferre, ab eo munere per sex menses suspenditur, si cuiuspiam talem gradum contulerit non prius recepto à tali persona iuramento, quod ultra certam summam ibi taxatam, scilicet, trium millium Turonensium argenteorum non expendat. De qua summa pecuniæ videri potest Couarruias in Veterum collatione numismatum cap. 3. §. 1. numer. 8. vbi in summa dicit, Turonensem argenteum quarta parte minorem esse Castellano argenteo, estimatur enim (inquit) viginti quinque nostris eretis maravedis: quamobrem iuxta illam constitutionem nemo poterit in Doctorali gradu, & honore adipiscendo expendere ultra ducentos simplices ducatos Castellæ, qui æquivalent ducentis & viginti Cruciatibus Lusitanis. Circa illam vero suspensionem duo occurrunt notanda. Vnum est, illam non videri proprie Ecclesiasticam censuram, quia non est à beneficio, vel ab officio Ecclesiastico: neque est propria clericorum, præsertim quoad gradus Doctoratus in vtroque iure, aut Medicina & Artibus. Vnde ait Glossa ult. in dict. Clement. qui violat hanc suspensionem, non fieri irregularem, quia non violat Ecclesiasticam censuram. Deinde, obseruo constitutionem hanc non esse vsu receptam in multis Academiis, in quibus & tale iuramentum non exigitur, & sunt propriæ consuetudines receptæ & approbatæ, iuxta quas interdum longe maiores sunt expensæ; nec propterea censetur incurri illa suspensio: ideoque in hac re consuetudini standum est.

Quinta suspensio lata est contra electores Episcoporum, qui infra octo dies postquam commodè potuerint, electionem factam electo non præsentauerint, & in hoc culpabiles extiterint: hienim ab omnibus beneficiis, quæ in illa Ecclesia, de cuius electione agitur, obtinent, per triennium suspenduntur: & si ad illa intra illud tempus temere se ingesserint, priuantur perpetuo ipsis beneficiis. Ita statuitur in cap. Cupientes, §. Ceterum de Electione in 6. Vbi eadem poena extenditur ad eligentes, vel opposcentes se electioni, qui intra tempus & modum ibi præscriptum ad Sedem Apostolicam non accedunt per se, vel per procuratores, aut per certas personas ad hoc destinatas ad reddendâ rotius negotij rationem. Actandem idem fere decernitur cum aliquis postulat, vt in eodem textu videre licet: hienim casus ampliore expositionem non requirit, quia fere non sunt iam in vsu huiusmodi electiones.

Sexta in compromissarium eligentem indignum.

Sexta etiam ad electiones pertinet, est de compromissario eligente indignum, ille enim à beneficiis Ecclesiasticis triennio suspenditur ipso iure in cap. Si compromissarius, de Elect. in 6. vbi etiam integra declaratio, quæ de hoc casu desiderari potest, traditur. Nam primo explicatur id intelligendum

Cap. ult. de offic. ordin. in 6.

Quarta suspensio exponeitur.

Clem. 2. de Magistris.

Conarr.

Quinta in delinquentes in electione Episcoporum.

Capit. Si compromissarius de Elect. in 6.

dum esse de illis beneficiis, quæ in ea Ecclesia elector obtinet, quam per talem electionem ostendit. Secundo; quod hæc pœna solum imponitur quando electio fit ad Episcopatum, vel superiorem dignitatem. Tercio hac pœna non ligari, nec comprehendendi Episcopos, vel superiores, quando ipsi compromissarii sunt: quia generaliter fertur, & generalis suspensio non comprehendit Episcopos vel superiores, iuxta c. *Ut animarum*, de Sent. excom. Quarto extenditur illa suspensio ad eum, qui alicuius electionem, postulationem, aut prouisionem impugnans, in probatione deficit. Addit vero Angelus verb. *Suspensio*, l. numer. 27. compromissarium eligentem indignum, incurrrere hanc suspensionem, nisi compromittentes illud habuerint ratum, sentiens si illi ratam habeant, alium non incurrrere. Sed illa conditio in eo textu ad hanc rem non ponitur, sed ad aliam longe diuersam. Dicitur enim prius in vers. *Si vero*, quando compromissarius eligit indignum, siue dolo, siue ignorantia id faciat, iam functum esse officio suo, ideoque potestatem eligendi ad compromittentes reuerti, nisi etiam illi talem electionem scienter ratam prius habuerint: & merito talis conditio in eo casu apponitur in pœnam eorum, qui scienter talem electionem approbant. Deinde vero in vers. *Porro* imponitur dicta pœna suspensionis compromissario male eligenti: additur vero illam pœnam vel similem non extendi ad ipsos compromittentes, nisi etiam ipsi ratam electionem habuerint: quia pœna solum autorem culpæ tenere debet, ut ibi dicitur: compromittentes autem nihil peccarunt compromittendo in aliquo, licet ille postea male fungatur officio suo. Merito autem additur illa conditio *Nisi ipsi ratam habeant talem electionem*, quia tunc iam illi sunt participes eiusdem criminis, & ideo etiam debent esse participes alicuius pœnæ. Tantum ergo abest, ut posita illa conditio, quod compromittentes ratam habeant talem electionem, compromissarius non incurrat dictam pœnam, ut Angelus intellexisse videtur, quod potius tunc non solum compromissarius, sed etiam compromittentes pœnam incurrant.

7
Quid si per
ignoranti-
am culpabi-
lem indig-
nus eligatur.

Expendendum autem est illud verbum, *Nisi sic*, ut pramittitur, ratam habuerint, id est, scienter: si enim pramissum fuerat in §. *Si vero*. Quare si per ignorantiam, indignitatis electi ratam habuerint electionem, non incurrent. Et quidem, si talis ignorantia fuerit inuincibilis, res est manifesta, quia tunc nulla committitur culpa: si autem non sit omnino inuincibilis, sed aliquo modo voluntaria, dubitari potest: an tunc compromittentes, & electionem ratam habentes talem incurrant pœnam: cum enim non excusentur à culpa, videntur non excusari à pœna. Nihilominus, tamen propter verbum, *scienter*, probabile existimo, hos non incurrrere pœnam nisi interueniente dolo & malitia, & supposita scientia quod electio fuit de indigno facta: nam, si interueniat ignorantia, etiam si vinci fortasse potuisset, & ideo non excuset à culpâ, tamen aliquam excusationem affert, quæ iuxta intentionem, & verba illius textus, sufficit ad excusandam illam pœnam; alioqui verbum illud, *scienter* nihil operaretur. Et fortasse ratio fuit, quia illa erat ignorantia facti: ignorantia enim iuris hic admittere non potest: quis enim ignorabit non licere electionem indigni ratam habere? ignorantia autem facti, scilicet, de electi indignitate, facile potest haberi, & præsertim postquam auctoritate compromissarii eligentis illum verisimilior, seu probabilior facta erat.

Quapropter licet Gloss. ibi, vers. *Eligitur*, etiam de compromissario particulâ scienter, intelligat, ego de illo aliter iudicandum censeo, nam ratio diuersa est, & textus de illo diuersimodo loquitur. Si ergo compromissarius ex ignorantia inuincibili eligit indignum, non incurret; cum illa suspensio solum

feratur propter culpâ, & pœna solum autorem culpæ tenere debeat, ut ibi dicitur: Si tamen indignum eligat ex culpabili ignorantia, & ex negligentia graui, quæ ad peccatum mortale sufficiat, dictam suspensionem incurret: quia ibi est culpa sufficiens ad talem pœnam, & in illo textu nunquam postulatur ut compromissarius scienter eligat indignum ad incurram illam, sed simpliciter dicitur, *Si indignus eligat*: Quod satis intelligitur, si eligat voluntarie & culpabiliter indignum. Et ratio etiam differentia est, quia postquam illi est concessa potestas eligendi, ad eum spectat de conditione & dignitate electi inquirere; meritoque ponitur, si in hoc sit notabiliter negligens: compromittentes vero magis excusabiles sunt, quia de compromissarii delicta & auctoritate confidunt, & quando oppositum non constat, merito dignum reputant, quem ipse elegit, neque habent illam specialem obligationem inquirendi de dignitate electi.

Dubitari vero potest, quenam pœna sit illa, quam compromittentes incurunt consentientes tali electioni. Aliqui enim putant incurrrere eandem suspensionem, quia ibi fit exceptio, ut non incurant illam pœnam, nisi in illo casu: ergo in eo illam incurunt. Alij vero existimant per illam particulam: *Nisi sic, ut pramittitur, ratam habuerint*, non significari, hos compromittentes indigni electionem ratam scienter habentes, incurrrere pœnam illius suspensionis, sed solum illam pœnam prius positam in §. *Si vero*, scilicet, quod priuatur potestate iterum eligendi, vel compromittendi, quia illa exceptio, *Nisi, &c.* posita in §. *Porro*, non cadit supra verbum, *Suspensionem*, sed supra verbum, *puniuntur*, quod generalius est: & ideo sensus non est, ut in casu illius ratihibitionis suspensionem, sed vt puniantur pœna prius indicata, scilicet priuatione electionis iuxta priorē §. *Si vero*, & iuxta capit. *Quoniam*, eodem titulo: Vbi declaratur, potestatem eligendi in eo casu ad Summum Pontificem deuolui. Et hic sensus mihi magis probatur, quia & mitior est, & satis conformis verbis textus, & rationi: nam in ipso compromissario, quod postquam semel elegit indignum iam non possit iterum eligere, non est pœna, sed est quasi cessatio iniuncti muneris, & ideo noua pœna illi imponit ob talem electionem peccaminose factam: in ipsis vero compromittentibus est peculiaris pœna, quod voce eligendi priuentur quando ratam habuerint talem electionem: & ideo non debent alia suspensionem puniri. Tamen iuxta hunc etiam sensum procedunt alia, quæ circa particulam *scienter*, expendimus, ut per se patet.

Septima contra eligentes indignum ad Episcopatum, &c.

Septimus casus est de his, qui eligunt indignum ad Episcopatum, vel inferiora beneficia, quæ curam animarum habent annexam, nam clerici eligentes & potestate eligendi tunc, seu pro ea vice priuantur, & per triennium ab Ecclesiasticis beneficiis suspenduntur. Ita habetur in capit. *Cum in curia*, §. *Clerici*, de Electione. Ferrurque hæc pœna in clericos Episcopis inferioribus, tum propter regulam superius positam, quod Episcopi non comprehenduntur sub generali suspensione, tum etiam quia ibidem Episcopi in hoc delinquentes aliter puniuntur, priuatione potestatis conferendi prædicta officia, aut beneficia, quæ pœna confirmari potest ex capit. *Nihil est*, eod. tit. de Electione, vbi etiam pœna suspensionis à beneficio, non latet, sed ferenda adiungitur. Deinde illa suspensio limitanda est ad eandem beneficia: quæ huiusmodi electores habent in ea Ecclesia, quam per talem electionem offendunt iuxta dicta in superioribus, & proxime in præcedenti casu.

Consequenter capit. Si compromissarius. Circa actionem vero propter quam hæc pena imponitur, aduertendum est, non esse absolute electionem indigni quomodocumque, sed verba textus sunt, *Clerici si contra formam istam quendam elegerint*, atque ita ex vi illius legis solum illi penam illam incurrunt, qui aliquem eligunt non habentem conditiones in illo decreto præscriptas: illæ autem sunt tres. Prima ut nullus eligatur in Episcopum, *Nisi qui trigessimum ætatis annum egerit* (ita enim legitur in Concilio Lateranensi sub Alexandro 3. p. 1. capit. 3.) in Decretalibus vero legitur *exegerit*: prior tamen electio videtur magis probanda ex capit. *Cum nobis olim*, de Elect. ibi, *Quod annuum ætatis trigessimum attigisset*, Secunda ut sit ex legitimo matrimonio natus: Tertia quod vita & scientia commendabilis demonstretur. Ad Decanatum vero, & Archidiaconatum, & alias præbendas inferiores, quæ curam animarum habent annexam, & ad ipsum regimen parochialis Ecclesiæ requiruntur, ut qui eligitur vigessimum quintum ætatis annum attigerit, & scientia & moribus existat commendatus. Qui ergo indignum elegerit ob defectum alicuius ex his conditionibus, prædictam suspensionem incurrat. Si vero aliis modis in electione peccet seu deficiat, non incurrat illam penam, sed aliis modis puniri poterit arbitrio superiorum: quia hæc lex de illis non loquitur.

Octava suspensio non dissimilis præcedenti fertur in Extraneis, vnicuique inter communes, de Postulat. Prælat. ubi qui ad Cathedralē Ecclesiam postulant eum, qui vicessimum septimum ætatis annum non attigit, vel qui religiosum mendicantem ad inferiorem Cathedralē Ecclesiam postulant, ea vice potestate postulandi, & eligendi, & à beneficiis, quæ in illa Ecclesia obtinent, per triennium suspenduntur.

Nona in eum, qui defecit in probatione eorum, quæ contra electum obicit.

Nona fertur in eum, qui in personam electi aliquid opponit, & postea in probatione deficit, suspenditur enim à beneficiis Ecclesiasticis per triennium, in capit. 1. §. *Adiciens*, de Elect. in 6. In quo nonnulla sunt notanda. Primum non esse sermonem de electo ad quodcumque beneficium Ecclesiasticum, sed ad dignitates personatus, & canonicas, ut declaratur in §. *Sed si spars*, in capit. autem, *Si compromissarius*, in fine videtur declarari, etiam in Episcopatu habere locum: & sane merito, cum magis sit punienda calumnia in Episcopum, quam in eum, qui ad inferiorem dignitatem eligitur. Secundo extenditur hic casus ex principio illius capit. & ex dict. capitul. *Si compromissarius*, non solum ad electionem, sed etiam ad postulationem, & quameunque promissionem. Itaque quacunque ratione aliquis sit prouisus, vel præsentatus ad aliquod ex dictis beneficiis Ecclesiasticis, & aliquid in personam eius opponatur, si opponens deficiat in probatione, dictam suspensionem incurrat. Tercio, quoniam contra electionem opponi potest & in formam eius, & in personam electam, hæc pena non imponitur in eum, qui obicit contra formam, & deficit in probatione: tunc enim solum ad expensas condemnatur: sed ponitur in eum, qui obicit in personam absque probatione: & merito, quia grauius delinquit propter periculum infamationis, & maiorem calumnie suspensionem: & ideo subditur ibidem, illam suspensionis penam imponi, *absque vlla spe remissionis, aut misericordie, nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum à calumnia vitio causa probabili, & sufficienti excuset.* Quorum verborum sensus non est in eo casu non incurrere suspensionem ipso facto prout per eam legem fertur aperissime, & sine vlla exce-

ptione, sed est sensus tunc esse dispensandum cum illo, & pro ratione excusationis tempus suspensionis coarctari. Addo vero tam probabilem posse esse excusationem, ut Summus Pontifex iuste ac merito possit totam suspensionem tollere, & fructus amissos restituere, ut si constiterit bona fide, & probabili spe sufficienter probandi obiectionem, atque adeo sine morali culpa id factum fuisse. Imo si hoc in conscientia constet, in eodem foro talis suspensio non incurritur, quia pena est, & cessat, cessante culpa. Tandem, licet ibi simpliciter feratur triennalis suspensio à beneficiis, tamen ex dict. c. *Compromissarius*, constat limitandam esse ad beneficia illius Ecclesiæ, de cuius prouisione, seu electione agitur, ut pena sit culpæ proportionata.

Decima in eum, qui consentit electioni per abusum potestatis secularis factæ.

Decima est de eo, qui ad Ecclesiasticam præbendam per abusum secularis potestatis eligitur, & tali electioni consentit: de quo ita dicitur in capit. *quæ de Elect. Quisquis*, de Electione, *Electio non commodo careat, & eligibilis fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem.* Qui textus citari solet communiter ad probandum suspensionem in eo casu incurrere. Sed ea verba non suspensionem, sed priuationem, & inhabilitatem inducere videntur. Nam priuatio, seu irritatio illius electionis & inhabilitas ad illud beneficium, & ad quamlibet aliam Ecclesiasticam dignitatem non est suspensio ab officio, neque à beneficio, ut per se constat. Vnde Panormitanus ibi irregularitatem illam appellat: atque ita pena illius textus, quantum ad electum pertinet, ad præsentem materiam non spectat. Additur vero deinde pena in electores clericos, qui in illo modo, id est, inducti per abusum secularis potestatis & contra canonicam libertatem electionem faciunt. Nam, præter irritationem electionis, ab officio & beneficio contra eos fertur suspensio. Tamen, si verba textus ponderentur non fertur ipso iure, sed ferri mandatur, sic enim dicitur, *Ab officio & beneficio penitus suspendantur per triennium*, quod etiam ibi Glossa notauit. Obicit vero ex capit. *Cum in iunctu*, supra tractato. Sed, ut ex supra notatis constat, nulla est difficultas, quia illi textus loquuntur in diuersis casibus: & ideo mirum non est, quod diuersas penas, vel eandem diuersis modis imponent: neque erit difficile congruentes rationes huius diuersitatis inuenire. Additur vero in illo textu de his electoribus, *eligendi sunt potestate priuati*, quæ verba quoad hanc partem sine dubio imponunt penam ipso iure, quæ suspensio quædam dici potest, nam impedit potestatem eligendi quoad vnum actum: & hoc solo titulo potest hic casus in presenti numerari.

Hic vero queri posset, quid sit electionem fieri per abusum secularis potestatis. Item, an hoc procedat de electione ad quodlibet beneficium: Item an in omnibus electoribus, & electis. Dico breuiter, aliud esse electionem fieri à seculari potestate: aliud fieri à clericis, per abusum secularis potestatis: in illo enim textu de hac posteriori sermo est, nam dicitur ut electores suspendantur ab officiis & beneficiis: supponitur ergo illos esse clericos. Sentiunt autem aliqui expositores, hanc penam à fortiori habere locum in illo, qui dignitatem Ecclesiasticam immediate recipit de manu laici, nā ille maior abusus est. Dico tamen ex vi huius textus non ferri specialem penam, aut suspensionem pro illo delicto etiam si grauius sit. Nec argumentum à simili, vel à maiori ratione est efficax in huiusmodi legibus penali-bus, ut sepe dixi: quia non necessario puniuntur grauiora delicta per eas leges, quibus minora puniuntur, sed singula suis locis, ut illud delictum suscipiendi Eccle-

Ecclesiasticum beneficium à laico punitur in capit. *Quisquis deinceps*, 16. quæst. 7. de qua alibi. In presenti ergo, electionem fieri per abusum secularis potestatis, est, quod electio fiat quidem ab electoribus Ecclesiasticis, tamen cum aliquo abusu secularis Principis, ut verbi gratia, quod ipse interfuit tali electioni, aut aliquid munus in ea exerceat, vel aliquid huiusmodi, ut in eodem ca. notat Gloss. i. & alia exempla adducunt Innocentius, & Abbas.

74.
An vis aut
metum gra-
tis excuset
hanc censu-
ram.

Aduertit autem dicta Glossa hoc intelligendum esse, quando ipsi electores voluntarie in sua electione admittunt illum abusum secularis potestatis: nā si per vim vel metum cogantur, non incurrunt hanc poenam, & consequenter, neque ipsa electio erit ipso iure irrita, si nullum alium habeat defectū; ad quod citatur. *Cum Vintoniensis*, de Elect. in 6. Ex quo nihil ad rem præsentem elici potest: melius id probaret, ex illis verbis eiusdem textus. *Qui electionem huiusmodi præsumperit celebrare*, nam illud verbum præsumperit, indicat modum operandi ex mera libertate plene voluntaria. Contrarium vero quo ad hoc sentire videtur Innocentius, nam inter alia exempla illius abusus ponit, quando Ecclesiastici eligunt aliquem minis secularis potestatis: sed fortasse intelligit, quando minæ non sunt tales, ut sufficiant inducere metum grauem, & moralem violentiam; nam, quando huiusmodi sunt, cum actio sit valde inuoluntaria, non sunt digni electores tam graui poena, & saltem in casu illius textus, & iuxta verba eius, probabilis existimo non incurrunt. Nec disputo modo: an electio facta per huiusmodi merū irrita sit, necne: nam esto sic irrita, quando metus incurritur ad extorquendum consensum electorum in talem personam; tamen, quando solum incurritur ad admittendum in electione abusum secularis potestatis, & eo non obstante, libere fit electio, nō opinor esse irritam, quia neque ex natura rei id per se constat, neque ex vi dict. capit. *Quisquis*, ut ponderatum est. Solum ergo incurritur illa suspensio, quando electores voluntarie admittunt talem abusum secularis potestatis; & tunc locum habet illa Decisio in omnibus beneficiis Ecclesiasticis, siue Episcopatus, siue inferiora sint, quia textus indistincte loquitur, ut bene Abbas ibi notauit. Et eadem ratione locum habet in omnibus electis, & in omnibus electoribus, nisi fortasse excipiendi sint Episcopi, quatenus sub generali clausula suspensionis non comprehenduntur.

75.
Suspensio
undecima,
& Duode-
cima.

Vndecimus casus sumitur ex ca. *Exigit*, de Censibus in 6. ubi omnes clerici inferiores Episcopis, qui Ecclesias visitant, aut sunt visitantium familiares, & non seruant constitutionem Innoc. 4. in c. *Romana*, eod. tit. de non recipiendis pro visitatione, aut debita procuratione, pecuniis aut aliis muneribus si ea receperint infra mensem in duplum non restituant, suspenduntur ab officio, & beneficio, donec similem restitutionem faciant Ecclesie, à qua aliquid receperint. Duodecimus casus sumi potest ex *Extrauag. 2. de Priuilegiis*, ubi fertur sent. suspensionis in eos, qui conferunt, vel recipiunt beneficia eorum, qui pro suis negotiis ad Romanam Curiam profecti sunt, quiue in illa officia aliqua exercent. Vbi solum oportet aduertere, ibi ferre suspensionem absolute & absque ulla determinatione, quæ neque ex verbis, neque ex materia, neque aliunde potest commode limitari; ideoque suspensionem tam ab officio, quam à beneficio completi. Alia aduertemus infra agentes de interdicto.

Decima tertia suspensio contra indices Ecclesie in iudicio delinquentes.

16. Decimus tertius casus est de iudice Ecclesiastico ordinario, aut delegato, qui per gratiam, vel fortes aliquid in iudicio facit contra conscientiam

& iustitiam in gratiam alterius partis: ille enim ab executione officij per annum suspenditur ipso iure in capit. 1. de Sentent. & re iudic. in 6. ubi additur, *Si suspensio durante, damnabiliter se ingererit diuini, irregularis atque laqueus se inuoluet*. Ex quo constat illam suspensionem non tantum intelligi ab officio iudicandi, nam suspensio ab illo solo non impedit celebrationem diuinorum: intelligitur ergo de suspensione ab officio simpliciter tam ordinis, quam iurisdictionis. Recte autem aduertit Glossa illam poenam non extendi ad Episcopum, etiam si Ordinarius, vel delegatus iudex sit, propter principium sæpe positum, quod suspensio generaliter lata non comprehendit Episcopum. Ponderanda autem sunt verba, *Ordinarius, aut delegatus*, quia non est vera illorum hæc poena extendenda, cum poenæ restringende sint: & ideo neque arbitrer compromissarius, neque merus executor illam poenam suspensionis incurrunt, quia neuter eorum est iudex ordinarius, vel delegatus, ubi notat Gloss. verb. *In iudicio*, ex Hostiensis & aliis. Obseruanda etiam sunt illa verba, *Contra conscientiam, & contra iustitiam*, quæ opinor copulatiue esse intelligenda sicut proponuntur: nō enim sufficit facere contra conscientiam, si non faciat contra iustitiam, potest enim iudex ex odio procedere, & in hoc facere contra conscientiam: tamen si gratiam illud quod alteri parti imponit, reuera non est contra iustitiam, sed solum quia intra latitudinem iustitiæ semper illam grauat quantum potest nullo fauore aut gratia cum illa vtrando in his, quæ licite possent, hanc suspensionem non incurrunt. Contrario etiam non satis erit agere contra iustitiam, si non agat contra conscientiam: quod potest contingere si per ignorantiam inculpabilem, vel inconsiderationem iudex partem aliquam grauet vitra iustitiæ æquitatem: tunc enim licet materialiter agat contra iustitiam, non tamen formaliter & secundum conscientiam: & ideo suspensionem illam non incurrunt, tum propter illa verba textus, tum propter rationem generalem, quod, cessante culpa, debet poena cessare. Cætera in ipso textu clara sunt.

Decimusquartus casus, qui ad hanc sectionem spectat, sumi potest ex cap. ult. de Offic. deleg. in 6. vers. *Vbi autem*, ubi suspenduntur ipso iure per annum ab officio iudices Conseruatores, qui de aliis personis quam de manifestis iniuriis & violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia, quæ iudicalem indaginem exiguunt, suam extenderint potestatem. In quo textu obseruare in primis licet, quod licet in principio illius cap. inter eas personas, quæ possunt in Conseruatores eligi, primo loco ponantur Episcopi & eorum superiores, nihilominus clausula poenalis ad illos non extenditur propter capit. *Ut animarum periculum*, de Sentent. excomm. in 6. & ita facile constat, quæ sint personæ, contra quas fertur hæc suspensio: sunt enim omnes personæ Ecclesiasticæ inferiores Episcopis, quæ munus Conseruatoris exercent. Actio vero, propter quam hæc suspensio imponitur, est excessus iurisdictionis & muneris sibi commissi in duobus, quæ in dictis verbis satis distincte proponuntur. Explicatur autem modus delinquendi necessarius ad hanc poenam incurrendam per illam particulam, *Scienter*, per quam ut minimum requiritur, ut culpabiliter & grauiter peccando, id faciant. Glossa vero ibi addit idem esse si ex ignorantia culpabili id fiat, citaturque cap. *Eos*, de Temp. ordin. in 6. Sed contrarium existimo verius: non enim sine causa additum est verbum illud, *Scienter*, & dict. capit. *Eos*, potius probat oppositum: nam quando ius vult comprehendere etiam peccantes per ignorantiam, non ponit verbum *Scienter*, sed vel simpliciter loquitur, vel sub disiunctione, *Scienter, vel ignoranter*, ut fit in dict. capit. *Eos*. Quamuis ergo ignorantia crassa non excuset à culpa, excusat tamen à poena & censura, quando lex, quæ illam ponit, requirit modum peccandi

Glossa non
curat.

canendi ex certa scientia, qui in presenti textu per aduerbium, *Scienter*, significatur. Suspendio autem ibi imposita est ab officio non tantum muneris Conseruatoris, sed simpliciter ab officio clericali, vt verba illa simpliciter prolata significant, & patet ex dictis in casu proxime precedenti, & ex doctrina superius generaliter data de suspensione ab officio. Male autem infert Glossa in illo textu, hanc suspensionem etiam esse à beneficio, nam oppositum potius colligitur ex verbi limitatione, & in superiori etiam doctrina notatum est.

18
Suspendi con-
na Paroch.

Alia suspensio sumitur ex Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de Reformat. matrim. vbi Parochus, vel alius sacerdos, siue secularis, siue regularis, qui alterius Parochia sponso, sine Parochi licentia, matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, etiam prætenu priuilegij, vel immemorabilis consuetudinis id faciat, ipso iure suspenditur, donec ab ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluitur. Non explicat autem Concilium, à quo huiusmodi sacerdotes, propter tale crimen suspendantur: cum tamen verisimile non sit, suspendi illum ab omni officio & beneficio, vt verbum illud simpliciter prolatum indicare videtur: tum quia peccatum illud non videtur dignum tanta poena: tum etiam quia illa poena indifferenter fertur in Parochos, & in sacerdotes simplices, tam regulares, quam seculares. Et ita videtur suspensio solum esse de re communi omnibus illis. Censeo igitur illam esse suspensionem ab officio sacerdotali, vel ad summum à munere sacerdotali: quia iuxta communem intelligentiam canonum ex materia subiecta determinatur poena, vt in eo quis puniatur, in quo deliquit. Item, quia, cum sacerdos propter abulum sacerdotalis muneris suspenditur, recte intelligitur suspendi formaliter, quatenus sacerdos est: atque adeo à sacerdotali munere. Aliæ suspensiones huiusmodi, quæ sunt communes aliis clericis cum Episcopis, vel annexæ Episcopalibus, declarabuntur infra sect. quinta.

19

His denique addi posset suspensio, quæ olim ferrebat in Bulla Coenæ in fin. contra eos qui contra tenorem eius absoluunt transgressores, qui in censuras bullæ inciderunt, his verbis. *Et q. prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum, & audiendi confessiones officia interdiximus*: Non obstat enim hoc vt. verb. manifestum est ex materia, & effectibus, illam censuram non esse interdictum, sed suspensionem quandam ab officio, non quidem totalem, sed quoad illa tria, vel quatuor muneris, quæ ibi declarantur, quia suspensio non est vltra verba legis extendenda, vt sepe diximus. Vnde constat sic suspensionem posse nihilominus celebrare, quia hoc non est proprie administrare sacramentum, sed sacrificium offerre. Et à fortiori non est prohibitus quominus alia Ecclesiastica officia facere possit. Hæc autem suspensio absolute fertur simul cum excommunicatione, nullaque additur reseruat: & ideo quoad absolutionem idem videtur de vtraque iudicium: hanc vero suspensionem hic non numeramus, quia licet à Gregorio 13. posita sit, à successoribus eius Sixto 5. & Clement. 8. prætermissa est, & ideo iam non incurritur.

SECTIO IV.

Quas suspensiones incurrant clerici propter alia peccata ceteris hominibus communia.

1
Primus casus
sui de publico
peccatore
retrahitur.



Primus casus in hoc ordine numerari potest de clerico publico peccatore in communi, id est, quocumque genere peccati, quod graue, ac publicum & consequenter ex se scandalo-

sum sit. Veruntamen hic casus non habet in iure fundamentum, saltem sub hac generalitate sumptum: & ideo non est cur hoc loco numeratur. Non enim omne peccatum graue quantumuis publicum & scandalosum, habet annexam in personam clerici censuram suspensionis: aut enim illam induceret vi sua absque alia Ecclesiæ constitutione, aut ex Ecclesiastico iure; hoc posterius dici non potest, quia nullum inuenitur tale ius: neque etiam prius, quia supra ostensum est nullam censuram incurri iure diuino, aut naturali, sed solo Ecclesiastico iure esse introductam. Et ideo supra diximus, quamuis sacerdos existens in peccato mortali etiam occulto, in tali statu non possit licite celebrare, & ideo ab aliquibus dicatur suspensus quoad se; tamen illud improprie & large dici, prout suspensio dicitur de quolibet impedimento, non vero vt significat propriam censuram. Cuius signum est duplex. Vnum quod licet celebret, non manet irregularis: aliud, quod, si agat poenitentiam sui peccati, non indiget absolutione à censura, vt licite celebrare possit. Idem ergo dicendum est de clerico publico peccatore, nam ex vitæ peccati est impeditus, ne licite ministrare possit ratione culpæ, & scandali, quod maxime locum habet in sacerdote: & est etiam verisimile in Diacono, & Subdiacono, vt alibi latius diximus: in minoribus aut ordinibus id locum non habet per se loquendo. Hoc autem impedimentum, qualecumque illud sit non est vera censura suspensionis, vt patet ex eisdem signis, tum quia sacerdos sic celebrans non fit irregularis, tum etiam, quia si poenitentiam agat, non indiget alia absolutione à censura. Solum necesse est vt illa poenitentia æque nota sit ac fuit peccatum, vt scandalum cesset. Accedit quod hoc genus impedimenti suo modo commune est laicis: nam laicus peccator publicus non potest ad Eucharistiam accedere licite, & vt publice id faciat, necesse est vt poenitentia notoria præcedat. Atque ita sentit in hac parte Couarr. in Clement. *Sisurarius*, p. 1. §. 1. numer. 5. vbi nonnullos iuris Pontificij interpretes allegat. Et in re idem tenet Syluest. verb. *Irregularitas*, quæst. 27. Vbi generaliter ait clericum ratione peccati non esse proprie suspensum, sed solum longe, & quoad se, ideoq. non fieri irregularem sic ministrando.

Couarr.
Syluest.

Et hoc tempore est receptissima, & indubitata hæc sententia, imo nullum auctorem inuenio oppositum sentientem. Nauarrus enim, qui aliquando docet clericum ex peccato publico & notorio incurere aliquam inhabilitatem Ecclesiasticam, cuius dispensatione indiget vt possit ministrare, vel ad superiores ordines ascendere, primum non loquitur generatim de omnibus peccatis, sed de quibusdam grauioribus & depositione dignis, vt ipse expresse declarat in Sum. cap. 25. num. 73. ex Cardinale iuncto textu in capit. vltim. de Temp. ordinat. Deinde quia illa inhabilitas, de qua Nauarrus loquitur, non est suspensio, sed irregularitas, vt discrete declarauit in cap. 27. numer. 154. & numer. 248. & 249. quod tamen an verum sit, infra tractando de irregularitate examinabimus.

Nauarr.

Obici autem solet capit. vlt. de Temp. ordin. vbi dicitur, sacerdotem notatum peccato adulterij, perurij, aut falsi testimonij non esse impediendum à susceptis, vel suscipiendis ordinibus post paratam poenitentiam, nisi talia crimina notoria fuerint: ergo, si fuerint notoria, sentit Pontifex non esse admittendum: habet ergo aliquod impedimentum canonum ratione talis criminis publici. Respondetur, ex illo textu colligere Nauarr. illam irregularitatem. Sed de irregularitate infra videbimus. Nunc de suspensione dicimus hinc non colligi aliquam iure ipso latam: quia ibi distinguitur inter peccatorem occultum, & publicum, id est, in iudicio conuictum, vel alias notorium, & de occulto vt distinguitur

Obicitur
ca. vlt. de
Temp. ordi.

Solutio
Obiectionis.